



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.

Bredenbach, Tilmann

Coloniae, 1584

VD16 B 7375

12. De horrendo obitu cuiusdam Hermanni Lutherani monachi apostatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

*Christianus Massens libro 20. Chronicorum.
De quodam Henrico Lutheran Tornaci
combusto, qui sequenti nocte socijs in carcere
totus ardens apparuit.*

CAP. XI.

A N N O Domini 1528. 20. Iulij, Henricus
quidam Lutheranus Tornaci combu-
stus est. Sequenti nocte socijs in carcere
totus ardens apparuit. Illis præ timore clamā-
tibus, ait: nisi ab errore cessetis, mecum peri-
bitis in æternum. Excitatus clamore carcera-
rius, consules vrbs aduocauit. Dicunt illis
vincti: Facite de nobis quod volueritis, modo
prius confiteamur, ne cum Henrico perea-
mus.

*Ex historia belli Livonici, De horrendo obitu
cuiusdam Hermannii Lutherani, monachi a-
postata.*

CAP. XII.

E Rat Torpati circa annum Domini 1554.
quidam Lutheranæ doctrinæ præco, Her-
mannus, mirè versutus & facundus in ab-
ducendis hominibus à Catholicismo ad Lu-
theranismum, annis quæ triginta summum e-
gerat illius doctrinæ præconem. Hic pellione
VVittembergensi Lutheran dogmata primū
docente, monachus erat Minorita, iuuenis, at
pro ætate in cōcionibus nō inexercitatus, ac-
cedit pellionem, offert illi suam in propagan-
dis Lutheranis dogmatibus opem, monasti-
cum cucullum in publica concione abiectu-
rum.

rum. Pellio eum in cooperarium suscipit, negotiatores nouo habitu eum donant, virginem monasticam in uxorem adiungunt, præficitur vasis argenteis Ecclesiæ in usum pauperum custodiendis. Pellione ex vrbe secedente, paulatim magnam auctoritatem apud omnes sibi conciliat, vt solus nobilium infantes baptizaret. Magnam opum diuitiarumq; vim congerit, mercatur prædia, domos, agros, in liberorum subsidium: primaque atque itidem secunda vxore demortua, tertiam ducit. Verû anno 1554. graui morbo corripitur, & sex diebus elapsis horrenda voce exclamat, se damnatum, nullam salutis consequendæ spem reliquam, & quotquot isti voluptariæ Lutheranorum sectæ sese dederant, damnationi obnoxios, atque ita toruo aspectu, & oculis horribiliter flammarum in modum lucentibus, desperabundus extremum spiritum exhalat, omnibus Christianis exemplum ac documentum relinquens, quàm periculosum sit ab Ecclesiæ vnitate ad nouas doctrinas deficere.

Laurentius Surius in Chronicis Anno 1544.

Petrus Brulius concionator Sacramentarius Tornaci per murum fune dimissus, inopinatam Dei persentit ultionem.

CAP. XIII.

GALLUS quidam concionator, factione Sacramentarius, nomine Petrus Brulius, Argentorato proficiscitur Tornacum, Neruiorum insigne oppidum: & primum apud

Oo

pud